



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Beneficia Ecclesiastica semper sunt dignioribus & magis sufficientibus
conseruanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

44 Multiplic. Benefi.

clericorum bene mentorum in illis partibus ubi sunt hæc beneficia: qui deberent ex his beneficiis & honorari & pauci. Tertio, scandalum bonorum virorum qui vident huiusmodi exorbitantes distributiones cōseruari ab his qui in formam gregis Christiani dati sunt. inde enim alii similia audent: & sic in præcepit ecclesia Christi. Et propterea qui hæc parvipendit, quia sic communiter à tot fit, & quia fortè papa dissipando dispensauit, non esset absoluendus: vt absque alia probatione clarè patet. Qui verò hæc æstimat, prouideat opere & veritate, vt hæc mala non sint: alioquin tepidus est & euomendus.

Beneficia Ecclesiastica semper sunt dignioribus et magis sufficientibus conferenda:

Beneficium demum Ecclesiasticum, nō solū idoneo & digno, sed etiam ita vt dignior non postponatur, conferri debet secundum Deum & cōscientiam, quamuis secundū iura sufficiat eligere dignum. Et ratio est, quia vitium acceptionis est personarum postponere digniorem nunc hic, & secundum ceteras circumstantias. Et hoc intellige, quando collator liberè habet in sua potestate prouisionem, nam ubi sola cōfirmatio electi aut præsentati à patrono spectat ad eum, sufficit quòd detur digno: quoniam ex hoc ipso quòd electus aut præsentatus est, tanquam dignior habetur. Et similiter quum renuntietur beneficium in fauorem alicuius, si fficit collatori quòd ille sit dignus: quoniā æquitas præfert aliis illum tunc pro sic vacante beneficio. In cuius signū nullus conuenitur, quando per viam renuntiationis digno confertur beneficium, quantumcunque digniori conferendum fuisset, si alia via vacasset. Et hæc omnia intellige de beneficio formaliter; hoc est, quatenus est beneficium

Quib. confe. benefi. 48

beneficium honoris & prouentus bonorum temporalium. nam sic ad regulas distributionis communium bonorum reducitur. Dico autem hoc, quia si ad principale secundum veritatem in beneficio inuenitur (hoc est officium pascendi, ministrandi diuina, persoluedi, &c. spectetur) non esset distributio bonorum, sed malorum, hoc est onerum. Et sufficeret eligere dignum: quoniam cessat ibi ratio acceptionis personarum, qua in bonis dignior postponitur.

Conferre autem pueris Ecclesiastica beneficia, existentibus aliis adultis idoneis, non solum inexcusabile, sed intolerabile videtur: tum quia pueri sunt solum idonei in spe, adulti autem in re, tum quia officium diuinum deuotè & studiosè persoluerere nequeunt: quum nec humana officia valeant exercere, nisi ut pueri: & tamen beneficiatorum nullus excusatur ab officio diuino. Nec est verum, quòd secundum iura canonica concedantur beneficia pueris, imò expresse hoc reprehenditur. extra de præben. capi. super inordinata. Et si alicui sunt ordinatæ aliquæ præbendæ pro pueris, vide illorum statuta: & ut puto inuenies, quòd non sunt beneficia ecclesiastica, sed quædam provisiones ad sustentandos & alendos pueros in seruitio Ecclesiastico. Vnde non tenentur tales ad officium diuinum: sed ad id, ad quòd sunt quasi conducti.

Bestialitas in moribus cognoscitur. bestialis enim homo non percipit quæ Dei sunt.

Bestialitas in mortalibus, est genus vitii plusquàm humani. Et multis materiis communis est, in quibus efficitur homo sicut bestia, vel in cõuersando, vel in comedendo, vel in coitu, vel in persequendo seu occidendo. Et constat propterea semper esse peccatum. Si tamen mentis compos sit. Et communiter est mors